

humanae condiciones mutarentur, S. Sedes non rediret ad pristinam severitatem : cujus rei ratio in explicatione a nobis data facile intelligitur:

Fatendum quoque est plures abusus et pericula reperiri in societate humana quae legibus oeconomicis hodiernis regitur et saepe capitalistica audit. Cfr. Antoine, op. cit. p. 380 seqq. Verum ista mala non videntur orta ex ipsa facilitate dandi et accipiendi pecuniam cum moderato faenore, sed ex abusus quos homines cupidi invexere, qualia sunt injusta monopola et inde orta laborantium servitus, speculationes bursae, negotia non veris sed fictis capitalibus nitentia, ideoque crebro latam ruinam trahentia, etc. Haec et alia mala morum emendatione legumque sanctionibus tolli vel saltem magnopere minui possent, illaesa manente cooperatione capitalis ad aliorum labores juvandos. Neque sapientis foret aut oblivisci maxima beneficia quae ex humana industria, qualis hodie exercetur, in temporalia commoda plurimorum derivantur, aut sperare tempora a quibus absint abusus magni, quales historia jugiter sub variis formis viguisse testatur, aut regimini quo labor et capitale hodie ununtur mala imputare quae ex aliis causis manifeste proveniunt, puta alcoholicis excessibus, nimis tributis vel exercitiis, etc. (1)

Non deerant antiquis temporibus media justum lucrum e pecunia percipiendi, potissimum ope censuum (n. 621) et contractus societatis. (n. 651 seqq.) Injuste igitur Ecclesia a quibusdam incusatur quod progressum temporalem impediverit jubendo ut pecunia otiose servaretur.

§ 3. DE CENSU ET CAMBIO.

621. I. Census antiquis temporibus saepissime usu veniebat, nunc autem jam raro usurpatur eo quod homines plerumque malunt mutuum cum stipulatione faenoris inire, ex quo id licitum esse tum a Jure civili, tum ab Ecclesia declaratum est. Ideo sufficet brevissime de hoc contractu census agere.

Census paulo aliter a veteribus DD. et a Jure civili hodierno exhibetur.

Juxta Theologos, est jus percipiendae annuae pensionis ex re vel persona alterius. Nulla, ut patet, difficultas moralis reperiri potest in censu quem iidem vocant *reservativum*, et qui in eo consistit quod aliquis rem frugiferam alteri tradit, puta agrum vel domum, sibi vel alii reservans

(1) Alias vias excogitatas ad explicandam apparentem mutationem in doctrina Ecclesiae de mutuo cum faenore, videsis apud Palmieri (nota ad Ball. P. n. 347) vel Antoine (op. cit. p. 538 seqq.)

jus singulis annis partem fructuum ejusdem percipiendi. Sed quaedam controversiae agebantur de censu quem *consignativum* vocabant, et qui in eo est quod aliquis, soluto pretio, emit jus percipiendae certae partis fructuum seu pensionis annuae ex re quae erat et est alterius, vel ex alienis laboribus. Nam talis emptio, praesertim si emptor seu creditor habet facultatem repetendi pretium, habet aliquam similitudinem cum mutuo cui faenoris stipulatio accedat. Discrimina tamen assignabant Theologi, etiam quando census est redimibilis ad arbitrium emptoris. Nam, dum in mutuo nihil emitur, in censu emitur jus percipiendi fructus : dum in mutuo principalis obligatio est ad reddendam sortem, accessoria ad usuras, in censu principalis est obligatio ad pensionem solvendam, nulla autem per se ad sortem reddendam. (Ball. P. n. 478)

In jure civili, census qui ab antiquis *consignativus* dicebatur, assimilatur omnino mutuo cum faenore. Nam C. C. postquam de hoc mutuo egit, statim addit : " Licet stipulari faenus propter sortem quam mutuator se obligat ad non repetendum. Tunc mutuum nomen census assumit (constitution de rente). " (a. 1909) Distinguitur autem duplex hujusmodi census : nempe perpetuus et vitalicius. (a. 1910) De priore agit C. C. aa. 1911-1913 : de posteriore aa. 1968-1983, inter contractus aleatorios, ad quos reapse census vitalicius pertinet. Prior, non autem posterior, semper redimi potest a debitore.

Hodie, cum universim liceat moderatum faenus e pecunia, tamquam e re frugifera, percipere, jam in constituendis censibus nulla est per se moralis difficultas. Servandae sunt regulae quae de moderato auctario positae sunt, et quae infra de justo pretio in emptione venditione tradentur.

Quaestionem de censibus, pro usu antiquiorum temporum expositam, videsis apud S. Alph. nn. 839-849. De celebri Bulla S. Pii V *Cum onus*, 19 Jan. 1568, qua modo valde arto determinabantur condiciones sub quibus licitus esset census, cfr. praeter S. Alph. (l. c.), Ball. P. n. 482 seqq.

622. II. Cambium quod, vi nominis, omnium rerum permutationes designat, hic restringitur ad solam permutationem pecuniae cum pecunia. Per hunc contractum permutatur non tantum pecunia praesens, uti aurea, argentea, chartacea, sed etiam promissa, puta per litteras cambiales (lettres de change). Solet etiam servitium alteri ope hujus permutationis praestitum mercede compensari.

Ad justitiam hujus contractus onerosi requiritur :

1° Ut servetur justum pretium pecuniae quae permutatur. Justum autem pretium pecuniae praesentis non est semper illud quod monetae inscribitur. Etenim propter varias causas, puta majorem vel minorem

valorem metalli e quo nummi confecti sunt, distantiam regionis in qua valorem legalem habent, etc. ab isto pretio legali differre potest pretium vulgare. Ita etiam crescere minuive potest pretium pecuniae quae post aliquod tempus solvenda promittitur, puta propter temporis spatium quo alter contrahens, qui pro pecunia promissa tradit pecuniam praesentem, re sua carere debet (n. 617), propter periculum ne pecunia promissa non recuperetur, etc. Pretium istud vulgare pecuniae, tum praesentis, tum promissae, hodie foliis publicis nuntiari solet, nec quidquam prohibet quominus in conscientia ut justum habeatur.

2° Ut non exigatur major merces quam quae servitio, per permutationem praestito, aequivaleat. Ita minor merces juste exigi potest ubi in eodem loco pecunia unius regionis cum pecunia alius regionis commutatur; major, si praeterea virtualiter saltem transfertur pecunia in locum dissitum, in quo alter contrahens eam habere cupit, vel etiam variae expensae faciendae sunt ad hujusmodi servilia habitualiter praestanda, ut contingit campsoribus, etc.

De cambio litterisque cambialibus fusius dicere supersedebimus: ne, absque magna utilitate practica, plurimas notiones exponere cogamur quae potius ad negotiatorem quam ad theologum moralem pertinent. Eas, secundum leges Batavas, explicat Marres. (n. 302 seqq.) In Belgio consulendus Codex commercialis Tit. VIII. *De la lettre de change et du billet à ordre*. (Leges Belgicae 20 Maii 1872 et 10 Julii 1877) Ceterum justitia fere semper nihil aliud, etiam in conscientia, jubebit quam ut serventur legis determinationes vel proborum negotiatorum usus.

CAPUT V.

DE DEPOSITO ET SEQUESTRO.

623. I. Depositum est contractus realis quo res aliena mobilis suscipitur custodienda et in individuo restituenda. (C. C. a. 1917 seqq.)

Contractus ille, in Jure nostro, dicitur essentialiter gratuitus; postea tamen mentio fit de deposito pro cuius custodia depositarius salarium poposcerit. (a. 1928) Reapse, si de salario convenit, potius locatio operae quam depositum est. Attamen quae hic dicuntur, de utroque contractu procedunt, facto tantum discrimine in culpa juridica quae inducat restituendi obligationem, ut infra exponetur.

Distinguitur depositum *voluntarium* et *necessarium*. Prius oritur e mutuo consensu deponentis et depositarii; posterius, e necessitate quam inducit incendium, naufragium aliusve inopinatus casus. Huic etiam

assimilatur custodia quae hospitibus (aubergistes, hôteliers) incumbit circa res viatorum qui in eorum domo hospitantur. (C. C. a. 1952) Iisdem legibus regitur depositum, seu voluntarium, seu necessarium sit.

II. Praecipuae obligationes depositarii sunt sequentes:

1° In deposito custodiendo eandem diligentiam adhibere debet quam suis rebus adhibet. Ad strictiorem autem seu *boni patrisfamilias* diligentiam praestandam tenetur: si se sponte obtulit ad depositum custodiendum; — si pro custodia salarium stipulatus est; — si depositum unice in gratiam depositarii factum est: — si conventum est ut de quavis culpa responderet. (a. 1927 seqq.)

2° Petenti deponitori reddere debet rem cum fructibus quos ex ea forte perceperit, non tamen pecuniae depositae faenus, nisi a die qua rogatus fuerit ut eam restituat. (a. 1936) Quandoque justitia eum obligaret ad rem deponitori non reddendam, nempe si certo comperiret eam esse furto sublatam et legitimo domino eam reddere posset; quandoque caritate ab ea statim reddenda prohiberetur, nempe si praevideret deponitorem ea male usurum esse, praesertim in tertii detrimentum; sed reddere eam posset si grave incommodum in ea deneganda experiretur, ut e generalibus principiis de caritate liquet.

3° Depositarius damnum reparare debet, etiam ante iudicis sententiam, si res periit vel deterior facta est ob gravem ipsius culpam theologiam, vel si expresse quodcumque rei periculum in se suscepit. Insuper ad compensationem tenetur, sed post iudicis sententiam tantum, si res periit vel deterior facta est ex ipsius culpa juridica. Tandem si idem casu, absque ejus culpa, accidit, non tenetur ad hoc damnum reparandum nisi rogatus fuerit ut rem restitueret: quod ultimum tamen intellegendum est, tantum post iudicis sententiam. (a. 1929) E principiis generalibus de restitutione patet, eum teneri ad reddendum id quod adhuc in aequivalenti de re aliena possideret, ex. gr. pecuniam quam e deposito bona fide vendito haberet. (a. 1934 seqq.)

4° Deposito uti nequit sine licentia expressa vel praesumpta deponentis. (a. 1930) Haec autem licentia ut prudenter praesumatur, attendendum est ad varias rerum et personarum circumstantias, praesertim ad detrimentum vel periculum cui res per hunc usum exponi possit. In specie, quando res est usu consumptibilis, ut pecunia, communis sententia Theologorum docet (Lugo, disp. 33. n. 4) non committi grave peccatum ab eo qui eam consumat, dummodo certus sit se in promptu habiturum esse rem aequae bonam quam restituat: nam haec infidelitas condicionibus contractus non videtur gravem injuriam deponitori inferre. Sed cavendum est a periculo impotentiae ad restituendum, quod praesertim hodie magnas negotiationes vel speculationes tentantibus